Uf
7960

Uf 7960
20
Uf 7960
Biblioteka Jagiellońska
stdr0019667

AMŒNITAS LILIORVM

ILLVSTRISSIMI DOMINI

D. NICOLAI PAC

PALATINI TROCENSIS

CAPITANEI KRZYCZEWIENSIS, &c. &c.

repræsentata.

Atque

EIDEM ILLVSTRISSIMO

In primo Auspicatissimoq;

Ad

PALATINATVM TROCENSEM INGRESSV

SVMMO GRATVLANDI STVDIO

DICATA

Per me

STANISLAVM EVSTACHIVM KOSSAKOWSKI, CASTELLANIDEN MSCISLAVIENSEM. Auditorem Eloquentiæ in Alma Academia Vilnensi Societatis IESV

Anno Domini M. DC. LII.

VILNÆ Typis Academicis Soc: IESV.

IN

GENTILITIA LILIA

ILLVSTRISSIMI PALATINI.

Clarus vbi monstrat Paciani sanguinis Hortus
    LILIA, quæ Patriæ non moritura parit:
Florida odoriferi cedunt viridaria Pæsti,
    Vincuntur Phrygii pulchra roseta Midæ.
O culta Heroum fæcundaq; LILIA! florem
    Nulla quibus similem Chlorydis aula videt,
Et quæ (nam terram flectuntur versùs & astra)
    Iure ad se terra, ad se simul astra trahunt.

Ex Biblioth. Regia Berolinens.

138 5907

ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. NICOLAO PAC

PALATINO TROCENSI,

CAPITANEO KRZYCZEWIENSI. &c. &c.

AVspicatissimum ad Palatinos Fasces Ingressum Tuum honoraturus ILLVSTRISSIME DOMINE, Lilia fero, animis quam plateis insternendis aptiora: quæ non pẽsilis ductorum à Semiramide ex terris in aërem protulit hortorum colonia, sed honor Magno Lithuaniæ Ducatui, ceu publico gloriæ inseuit campo, ad patriæ messem vberem voluptatis. Consueuerat suis vetustior Roma Ducibus, quos parta bonis auibus victoria remisit in vrbem, sparsos latè per compita flores subiicere, gloriosum minùs triumphatrices plantas iter habituras rata, nisi substratos flores calcauissent. Ita & ego Tuo ad Trocensem Palatinatum Ingressui, splendido licet amicorum comitatu, insigni Equestris Ordinis frequentiâ, proprioq; cultu nobili, additâ florentium LILIORVM AMOENITATE, plus gloriæ accessurum arbitrabar. Liliis his equidem carere non poteras, quæ PACIANO in sanguine, Maiorum gloriosè factis, & propriâ nusquam non circumfers virtute: neq; ipsa Lilia, cum Senatorias impleant Curules, primos à Rege coronent Magistratus, patriamq; recreent vniuersam, calami beneficio, vt in publicum delata paterent, indigebãt: ea tamen vt Tibi offerrẽ, tum Gentilitius, quem communem habemus, sanguis, tum litteraria, ad quam hodie informor, imperauit disciplina. Non poteram in Honoris Tui, amplitudinem mutâ peccare taciturnitate, exigente publicam gratulationem Nostro

san-

anguine, sed neq; aliam gratulandi materiem assumere, nisi quam idē suggessisset sanguis, Tua scilicet LILIA. *Ipsa verò eloquentia, vt florida ingentium laudum argumenta tantis in Floribus animaduertit, vltro ad suauissimum laborem anhelauit, felicem se admodùm arbitrata, si lectos artis suæ flosculos, Florum Regibus* LILIIS, *in obsequium obtulisset. Equidem immaturam Tyronis dictionem Tuorum imparem* LILIORVM AMOENITATI, *vmbramq; fore, quam cultum potiùs, non ignoro. Malo tamen tenui licet stylo, debitum Tibi affectum aperire, quàm verecundo silentio Senatoriam vulnerare dignitatem. Vmbræ nomen, meo in labore non fugio. Sit sane vmbra:* LILIA *Tua satis non exprimet, sed efficiet, quod vmbræ proprium est, vt in se, pulchrior gratiorq; eorum Amœnitas, Gloriæ nimirum Tuæ & Virtutis Imago appareat.*

Illustrisimæ Celsitudinis Tuæ

Obsequiis paratissimus Frater
STANISLAVS EVSTACHIVS KOSSAKOWSKI
Castellanides Mscislauiensis,
Auditor Eloquentiæ in Alma Academia Vilnensi Societatis IESV.

AMŒNITAS LILIORVM

ILLVSTRISSIMI DOMINI

D. NICOLAI PAC

PALATINI TROCENSIS CAPITANEI KRZYCZEWIENSIS.

ANgustum se nimis ad exortæ copiam lœtitiæ Trocensis queritur Palatinatus, dum suis Te conspicuum Fascibus adorat Palatinum ILLVstrisime Domine. Effusa enim vndequaque non capit gaudia, dum eos Tecum videt redire Flores, in quibus prospera rediuiuæ felicitatis legat omina. Triste perquàm vulnus, Trocensi inciderunt fortunæ immatura Illustrisimi Domini PETRI PAC Palatini Trocensis, Tui, hoc (ita loqui liceat) in honore prodromi fata: verum Tua dignitas ei felicem adeò suppeditat medelam, vt iam citra testem luculentæ plagæ notam, ex integro conualescat. Habeat magnus ille cognomento rebusque inter Romanos præclarè gestis Pompeius eam itineris laudem, quòd suo transitu, effætæ apud Rhodios quercui florem fructusque reddiderit: hoc illustrior tamen Tui ad Trocenses Fasces aduentùs gloria, quò nobiliùs est, non

rude lignum in florem, sed generosa liberæ nobilitatis pectora, ad lœtitiam animasse. Nullus in circumfuso Equestris Ordinis comitatu reperitur, qui aureum Honoris Tui serenum, caliginosa tenebret inuidiâ. Tanta lœtorum undique affectuum vltro Tibi substernitur propensio, vt minùs vel ebria matutino rore florum familia, vel opulenta pleniore spicâ Ceres, pendulis terram salutet uerticibus: nec tantùm quiescentis substrato in auro fulgur iaspidis, quanta de Tuo Honore omnium alacritas videatur. Non equidem compositi ad lœtitiæ testimonium, ignes, quibus Roma sublimium officiorum exordia venerabatur, artificiosè vrunt tecta, at quiuis debitum Tibi amorem succendit. Sed hoc Gentilitii Floris Tui munus est, qui Palatinatui Trocensi velut Horto nobilissimo secundùm insertus, auiti cultùs tenacitate pristinos in omnium animis affectus resuscitat. O quam dulce hodie vniuersis PACIANA in præsidium recipere LILIA, quæ non acuto spinarum asperantur horrore, sed dulci, ad Patriæ subditorumque delicias, florent voluptate. Quis felicitatis aut innocentiæ vulnera Te pertimescat Præside, cum innoxius Liliorum Tuorum candor omnem sontis iniuriæ expungat aculeum, imo spinas ipsas in Lilia cogat efflorescere. Hæc sunt Illustrissime Domine illa Tua Lilia, quæ à primo ortu, ita sublimes Regum Principumque induêre purpuras, vt innati candoris integritatem, nullo texerint fuco: ita natiuo albicant argento, vt ad afflictæ patrocinium innocentiæ, fuso (quoties opus est) reorum scelerum rubeant sanguine. Hæc illa Lilia, Florum Reges, Familiarum Decora, pacis bellique ornamenta, Equestris Ordinis, Senatusque Lithuani lumina. quorum amænitate solâ dum auspicatum Tuæ dignitatis veneror principium consilii mei rationem, in copiosam Illustrissimæ Domus Tuæ maiestatem deriues, velim. Diues quippe dome-

domesticorum decorum Familia Tua, alieni splendoris opes non admittit, proprioque gloriosa cultu, eam, quæ aliunde venit, gloriam, ceu adscititia pigmenta iusto spernit supercilio. Arduam sane prouinciam, in explicanda Liliorum Tuorum amænitate suscepi Illustrissime Domine, quæ vt facilè nobilem ingressus Tui venustat pompam, ita pariter Eloquentiæ vires premit, ne dicam opprimit. Ecquam enim styli felicitatem ii non vincant flores, qui fortunato plurium sæculorum labore culti, creuerunt adeò, vt magnitudinem profunda solùm honorare posit admiratio; tantùmque à communi recesserunt humilitate, vt relicto ignobilium herbarum consortio, eam occupent celsitudinem, quæ Augusta è vicino tangit fastigia. O amæna, o magnis perpetuò nutrita honoribus Lilia! quem Senatorii locum Ordinis non impleuistis? quam sublimioris officii sedem non coronastis? Non regium modo inter flores nomen, verùm & primas, secundùm Regem possidere dignitates, Vestræ PACII fortunæ, imo virtutis innatæ est. Patet frequens illa Illustrium Familiarum calamitas, quâ claros Patres infamis posterorum obscurat ignauia. Bonitatem Antonini perniciosus non raro commodus, mille incommodis euertit. Lucem Germanici quoties caliginosus tenebrat Caligula? Nobilitati primis inhiamus omnes desideriis, ita tamen ingentium olim Heroum raras cum tabulis proiicimus virtutes, vt nobile palatium, nisi à nobilibus vitiis quandoque non habeat nobilitatem. Procul à tanti dedecoris macula Liliata Domus Tua, cuius hæredes iucundâ Liliorum altitudinê, sublimibus ausis domi forisq; æmulantur. Nullus inter vos est Illustrissimi PACII qui purissimum clari sanguinis fontem, ignobilioris uitæ turbet infamiâ. A teneris quippe dum mutuùm vos inspicitis, ad dignas maximis Reipub: honoribus virtutes occulto quodam Numine, perpetuæ

geni-

genium imitationis vobis inspiratis. Qui fuit Auis, idē in sera Nepotum posteritate, generosus ad ardua viuit impetus, quem nec frequens periculorum assultus, statione; nec temporum vicissitudo, constantiâ deiicere potest. Flores estis Illustrissimi Heroes, in quibus veriùs, quàm Sybillæ foliis, continuatarum per longissimas ætates virtutum, quiuis euoluere potest oracula; & compendiosiùs quàm in poëmate, nuce Homeri clauso celebres Heroum historias legere. Haberetis vtinam in oculis quàm animis posterorum, obtentam grandibus meritis immortalitatem, soli vastam Lithuanæ Curiæ impleretis capacitatem, Senatum soli faceretis PACIANVM. Quanquam & in ipsa moriendi necessitate, illustre satis Familiæ Vestræ decus est, quod extra seculorum arbitrium nullam cum tempore ferat varietatem. Succeditis vobis perpetuò ô nobiles surculi, verum nec à vobis, nec à vestra receditis radice; adeoque per diuersas ætates simili frondetis gloriâ, vt aurei illius rami, aureo vatis commento plantæ cuipiam inserti elogium in hæreditate habeatis.

- - - Vno auulso non deficit alter
Aureus - - -

Magnificas, quibus semper floruistis, virtutes; continuata, quibus altius Patriæ creuistis, merita; ingentes, quas communi bono deuouistis, animas; præclaros, quos ad vsque nostri præsentiam temporis, deduxistis, dignitatum variarum fasces; quotiescunque attonitæ præfigo cogitationi, eodem semper honore Vestra Lilia florere animaduerto. Gloriosa facinora muniaque Vestra, mentem; ceu discolor hortorum Familia multiplici fragrantiâ humanum oppugnāt odoratum. Primus enim gloriæ Vestræ apparatus, in sequentis pulchritudine reuertitur; & noua, eâ prodeunt specie, quasi vetusta sub manu renascerentur. Ornat vos hodie

die præclara in Rempub: merita; porrigunt sæculis raræ virtutes, & insignium animorū egregiæ dotes; Senatorius honor ad certaturam cum æternitate famæ gloriæque vitam disponit: at nonne hoc cultu in Maioribus quoq; Vestra Lilia floruere? Nondum Lechia Iagelloniam quærebat adoratura purpuram, nondum Augustas Polona Sceptra Lithuani Ducis ambiebant dexteras; iam Vestræ Gentis maiestas per summos apices gradiebatur: iam PACII, Pacis decora, Martis Fulmina, Reipub. Lumina, Equestris Ordinis Præsidia, quotidiana inter encomia audiebatis. Nunquam Illustrissima Domus Vestra sterilis Heroum agnita, ex qua, perenni venerunt successione inuicti Lithuaniæ Scipiones, inclyti Metelli, maturi Catones, celeberrimi illi GEORGII, STANISLAI, PETRI, NICOLAI, DOMINICI, PAVLI STEPHANI, & alii tum meritis tum dignitate venerandi PACII. O Heroes! ô Lilia! videri profectò citra admirationem; facundiâ pro dignitate coli non potestis! Quis enim parem afferat orationem integritati GEORGII PAC Palatini Polocensis, qui Podoliæ Iudex tanta moderatione præmia cum pœnis dispensabat, vt ad perfectam iustitiæ laudem, nil prorsus in eo Regium Serenissimi Iagellonis examen desideraret? Quis assurgentes pari virtute & Honore Duumviros GEORGIOS PACIOS Palatinos itidem Polocenses laudibus assequatur, in quorum altero prudentiæ vim vniuersa stupuit Polonia, quando ruptam per Polonos cum Lithuanis concordiam nouis fæderibus redintegrabat? NICOLAI PAC Palatini Podlachiæ singularis auctoritas, hilaris munificentia, digna Heroe & planè PACIO fortuna, quamcunque superant panegyrim. Tuam verò ô nobile Patriæ propugnaculum STANISLAE PAC Palatine Vitepscensis fortitudinem, quæ æternet eloquentia? Togatæ curæ Tuæ, quas publicis commodis impendi-

sti, maiores sunt quàm vt integrè pro copia, vel pro dignitate splendidè satis recenseri possint. Faciliùs Tibi erat cæsis hostium in pectoribus, cruentos victore gladio ducere characteres, quàm scriptorum maximis, parem Tuis factis expedire stylum: minus, Martiâ promptitudine Patriam tueri, quàm Suadæ Tuorum copiam facinorum in numerum reuocare. Testatur fortunatos Martis Tui progressus aulica Moschouiæ Ducis Legio, Tuis ad Wielizium armis extirpata. Loquitur strenuum dexteræ Tuæ robur trium supra decem millium Moschouiæ exercitus, à Te exiguâ duorum millium manu, pars deletus, pars in Moschouiam (quæ mox à Te victore & vindice fusis latè visitata incendiis, ad Tui nominis claritatem vndequaque illuxit) vnde venerat, insigni reiectus damno. Sensit in Te malè ominata Moschorum Auis exitiale suis copiis fulmen, quod vel absens, solâ sui expectatione & famâ, collectas magnorum exercituum vires, in terrorem, turpemque fugam coniiciebat. Obsederat Vitepscum trium è Moschouia Palatinorum barbaries, præteritas vltura (an auctura?) clades, & quia propriam potentiam Tuâ præsagiebat inferiorem virtute, domesticam rabiem, vocatis in belli societatem Tartaris, externâ feritate communiuit. Quid tamen Moschouitica multitudo cum auxiliari Scytharum furore Tuo Marti? quod præcipiti de summis montium iugis torrenti, obuius lapillus; quod eiaculato fulmini, obuia syluæ pinus; quod accenso rogo, stipula. Vix enim in conspectum hostilium armorum processeras, ilicet barbaræ noctuæ ad Martii solis fulgorem caligare, castra deserere, fugæ beneficio turpem patriis in latebris salutem quærere. Et profectò vidisset eâ tempestate Vitepscum verissimam in Moschorum interitu Cannensis cladis imaginem, si hostis Lithuanum Annibalem voluisset præstolari. Nulla quoque laus erit tam diserta, quæ amplissima PAVLI & IOANNIS PACIORVM Mcislauiensis, & Minscensis Palatinorum æquet decora, quibus fidelè adeò sibi posteritatis memoriā obstrinxerunt, vt non nisi cum æternitatis fastis, quos Togâ Sagoq; impleuerunt, gloriosæ interitum famæ, habere posse censeantur. At Te ô Lithuanæ Gentis delicium PETRE PAC Palatine Trocensis quis verborum ornabit cultus? Succumbit omnis Tibi facundia, cùm & ipsas, quibus Te Reipub: gratitudo sublimabat, dignitates, Tuam infra virtutem, longo reliqueris interuallo. Singularis in DEum pietas Tua, in Patriam amor, in egestatem munificentia, neque tum extra compendium sunt, quando vel historiam singula, vel poëma nanciscuntur. NICOLAI verò PAC Samogitiæ Antistitis famam, quæ tandem exuent sæcula? Munitior Illustrissimus hic Præsul est contra obliuiosi temporis iniuriam, quàm vt gloriæ laudisque cladem vereatur. Non sinet eum apud secuturam obscurari posteritatem clarissima Samogitiæ Infula, cuius lucem, quia destinato in Præsuleos reditus auxit patrimonio, caliginem à se proscripsit vniuersam. Pari fortunâ virtuteq; & vos omnem exquisitæ laudis apparatū extinguitis perēnaturi Illustrissimi Vilnenses, Kiiouienses, Vitepscenses, Polocenses, Smolenscenses Castellani, M. D. Lithuaniæ Pocillatores, Notarii, Referendarii, Vexilliferi, Succamerarii, Procancellarii, Marschalci DOMINICI, PAVLI, GEORGII, CHRISTOPHORI IOANNES NICOLAI, STEPHANI PACII ingentes Animæ, Heroes inclyti, Patriæ Columina. Nullus Vobis famæ partorumque metus decorum. Prouidistis abundè copiosis meritis, ne vel odorem Liliorum Vestrorum parta semel deserat gratia, vel colorem inuidæ delibent maculæ. Crescet vobis florida semper posteritas geniali in Horto, quem contra durioris

auræ

auræ tempestatumque minas, tanto heroicorum operum præsidio muniistis. Cæterum Te Illustrissime Palatine quisquis hodie Lilium Senatoria videt rubere purpurâ, multum, quod virtuti Tuæ; quod fortunæ gratuletur, multum habet. Præcipuos enim Lithuanorum Procerum fasces, quos alibi cana duntaxat meretur maturitas, citò admodum occupasti, non moto seditiosæ ambitionis tumultu, sed emeritæ suffragio virtutis; quæ vt ingentes radios latiùs diffunderet, altiore loco debuit collocari. Felix hæc est Illustrissimi PACII ceu Liliorum prærogatiua Vestra, vt purpuram à radice trahatis, ad magna, iam, cum nascimini, destinati. Gloriæ Constantino datum, quod à proprii generis authore fortunam imperii haberet, non fortuitâ hominum consensione, neque repentino fauoris euentu princeps factus. An igitur & Tuarum laudum pars erit postrema, quod Senatum virtute & auitâ nascendi sorte iam intraueris? Magnum bonum PACIISq; hæreditarium est, in lucem felices venire, & quæ cæteris totius vitæ labor vixdum parit, domi statim parta suscipere. Miramur felicitatem, quæ meritis in ordinem stipendiis, ad potentiæ robur inualuit; cultum tamen maiorem debemus iis, qui super longas acquirendæ gloriæ moras à fortuna positi, magni ortûs sublimitate verticem honoris tenent. Plerique dum ad dignitatum apicem eluctantur, singulis prope quiescunt in gradibus, vires ad reliquum iter collecturi. At Tu, omne, quod infra Senatorem, spatium est, vno quasi saltu superasti; vt ad supremum culmen volâsse, non ascendisse videaris; tot aliis, quot Maiorum meritis. Non solis tamen Maioribus Illustrissimæ Purpuræ debes beneficium. Contulisti namq; ad eam non humilem propriorum facinorum apparatum, quo ostendis, Te non Maiorum duntaxat maiestatem occupare, sed auitum Familiæ splendorem

recen-

recentibus factis promouere. Generosum in Te PACIANÆ Gentis deriuauit natura sanguinem; at Tu non pauca vicissim ei refundis decora, vt genere & virtute Te PACIVM probes. Circumferebat quondam Regum Polonorum decor Kriuoustus pendulam de collo defuncti Parentis effigiem, in qua, exactiùs paterna secuturus intuebatur gesta, quàm magistro ex speculo Caligula adscititiam inhumani vultûs austeritatem addiscebat. In Te verò quantam virtus Illustrissimi Parentis (à cuius obitu ingestum Respub. necdum satis composuit mœrorem) inuenit æstimationem, cum non collo, sed laudabili vitâ paternam gestes imaginem? Transit alibi tanta ex genitoribus in prolem formæ similitudo, vt in filiis, parentum notetur aspectus. Tibi verò, signante virtute honestas & Senatoriæ vitæ ratio tantopere impressa est, vt Pater in Filio, Senator viuat in Senatore; neque illum dum Te cernimus, excessisse credamus. Quanquam quid eum excessisse dico? qui ita temporum parebat dominio, vt perennitatem ferret; ita caducam vitam instituit, vt faceret immortalem? Quantis ille virtutibus animum, Rempub: meritis, sæcula beneficiis, historiarum monumenta gestis impleuerit, qui non videat, nemo est. Miratur adhucdum fida Lithuanæ Nobilitatis institutrix & obseruatrix Academia raram illius vel in molli annorum flexu grauitatem, quam tantâ tenuit constantiâ, vt in puero, ea, quam puerilis ætas communem habet, licentia semper exulârit. Stupent Olomucium & Bononia clarissima Palladis domicilia, coniunctam in eo cum summo scientiæ desiderio, maximam felicioris ingenii vim, quam eruditis in certaminibus, palma facilè cum triumpho sequebatur. Hoc autem quantum decus, quod inter externos diu versatus mores, patriam, quam extulit, retulerit innocentiam? Peregrinationes (inquit morum censor

C

Sene-

Seneca) vt plurimùm ſuſcipiuntur vagæ, & littora pererrantur, & modo mari ſe, modo terrâ experitur ſemper præſentibus infeſta leuitas. Verùm cùm extra Patriam aliud ſemper ex alio ſuſcipimus, cum ſpectacula ex ſpectaculis curioſi mutamus, fit, vt velut pueri ignota mirantes, ad breue tempus aliquâ detineamur nouitate, & ſola mentibus vitia, ceu veſtibus puluerem colligamus. Longè alio fructu Illuſtriſsimus Parens Tuus exteras decenniùm habitauit Prouincias. Non ſolam illi gentium notitiam, non ſolas montium formas, aut inuſitata camporum ſpatia, aut irriguas perennibus aquis valles, aut variorum fluminum ſub obſeruatione naturam, diuturna dedit peregrinatio, ſed dignam Lithuano Senatore Rerumpub: peritiam, & pectus variâ diues eruditione. Redux quippe ductam alibi ætatem, non ſumptuoſorum itinerum hiſtoriâ, non prauarum conſuetudinum exemplis, ſed inſtructo ad meliora ſanioraque conſilia animo, quoties res exigebat, teſtabatur. Agnouit eum probauitq; Sereniſsimus Poloniarum Rex SIGISMVNDVS III. (cuius Aulæ collectam apud exteros ſcientiam ſtatim redux intulit) Lilium ſinceritatis candore, prudentiæ ſublimitate, omnium virtutum pulchritudine conſpicuum, & Regio digniſsimum palatio. Vidit eum ſtupuitque Lilium militari purpurâ rubicundum Martius campus, in cuius aſperitatem, ne ſolis Aulici horti deliciis aſſueſceret, voluit tranſplantari. Secutus namque felices ſui Regis Aquilas, tantis auſis & tam generoſâ promptitudine Pruthenico, Turcico, Moſchouiticoq; bello deuouit ſeſe, vt per ipſa ſanguinis diſpendia militaris pectoris ſinceritatem oſtendere Patriæ non dubitaret. Gladio non ſiniſtrè tot bellis vſus, dextram calamo tam dextrè admouit, vt M.D.L. Notarius, heredem Domui ſuæ ſcriberet æternitatem, Referendarius M.D.L. quid? Nunquam audita negotia ſine

innocentiæ patrocinio, apud Regem Senatumq; deponebat, tantoque veritatem æquitatemque coluit affectu, vt perpetuò tanquam Lilium germinaret: hoc eſt, [quemadmodum Diuina loquuntur oracula] iuſtus eſſet. Spem publicam, quam Liliatum Pii Auguſti aurum Imperio Romano oſtendit; PACIANA Lilia Populo Lithuano, in Tuo Parente M.D.L. Theſaurario dederunt, hoc gloriâ maiore, quo dediſſe aliquid, quàm oſtendiſſe, generoſius eſt. Theſaurum enim ille Patriæ, ſuæ commiſſum curæ habuit, at Theſaurus ipſe, quo ſpes publica, commune bonum, Reipub: incolumitas alebatur. Non poſſunt aurea illius in Patriam latere merita, quæ toties gratiſsimo ſonuerunt tinnitu, quoties ad numerum liberalitatis priuatas opes in communem benè prodigus ſparſit neceſsitatem. Excelſa tandem & admodum rara multiplicium virtutum prodigia, quibus non minus immortalitatem ſibi, quam data Ciuibus Regum diplomata M. D. L. Procancellarius obſignabat, qui laudum circumſcribent cancelli? Nullus ſermo tam felix eſt, qui cum miranda tanti Herois attrectauerit facta, vel numero circumuentus, deſperato non ſtupeat exitu, aut maieſtate perſtrictus, tantum nitoris habeat, quantum ex rerum luce collegerit. Impar eſt narrandæ eius magnitudini quæuis eloquentia; at Tua Illuſtriſsime Domine ferendæ par eſt imitatio. Portas namq; pulchris naturæ dotibus, Patrem Filius; mirâ virtutum ſimilitudine, & officii ſublimitate, Senatorem Senator. Portas alter Æneas Anchiſen Tuum, non humeris, è Troiani periculis incendii; ſed animo, ex prætertabentium temporum inſidiis. Qui quidem labor inter prima ſanioris ætatis exordia, ſtatim Tibi palmaris fuit. Iis enim coloribus, ad Paternæ virtutis idæam, egregius morum pictor, à teneris vitam Tuam conformabas, vt vera tanti Parentis Imago habereris.

Tantum enim abest, vt visam magnitudinem ignobili quadam abiectione ad paruitatem depresseris, quin altiùs laudabili mentis excelsæ genio, per continua prouexeris incrementa. Viderit Carthago nouennem Annibalem ante DEos patrios in Romanas iurantem calamitates, non tamen in eo tot signa furoris odiique in regnatorem orbis populum olim euomendi notârit, quot in annorum Tuorum teneritudine Paterni spiritus lineamenta, Vilnensis suspexit Academia. Contuleras sub eius disciplinam idoneam studiis ætatem Tuam, humaniore erudiendam litteraturâ, tanto statim profectu, vt Academico in flore Lilium emineres. Artibus namque liberalibus, animi liberalitatem conjungebas, nunquam laboris, nunquam solitarum parcus exercitationum; turpe ratus, si ea neglectis in litteris amitteres lumina, quæ nobilibus radiis gratissimum conciliant splendorem. Hinc etiam erat, quod omnibus optatam Tuæ familiaritatis indulgentiam subtraheres, qui cum ruditate pectoris vacuum sapientiâ Academici circumferunt nomen, eorum duntaxat amicus & fautor, quos pertinax ignorantiæ vincendæ conatus, ad Tui similitudinem ingenii promouisset. Memorant adhuc singulæ, quas quotannis nouâ luce illustrabas, palæstræ, dignam nobili sanguine diligentiam Tuam; mirantur viuum omnis honestatis exemplar, non vni duntaxat gymnasio, sed toti venerandum Vniuersitati. Nil vnquam apud Te potuit damnata vitiorum facundia, cui subitò velut Octauianus obstrepentibus in auito suburbio ranis, silentium imperabas: ne præpedito sanæ rationis vsu, ea committeres, quæ diuturna egerent pænitudine. Inuisa Tibi fuit libertas, quæ nobilem in consortio non habuit modestiam, onerosa nimiùm leuitas, quæ debitam opprimeret grauitatem. Scilicet vt grandior monstrosas olim variorum capitum Hydras nouus Hercules proteres, minorum anguium cæde, vires à teneris gloriosè præparabas. Non nostra modò hæc, verùm & celebrium per Germanias Academiarum confessio est, in quibus tanto Lithuanam indolem probasti plausu, vt fateri cogerentur, non eodem Sarmatarum iudicia, quo corpora stupere gelu. Ingolstadium nobilissimum illud Angeli stadium ingressus, quanto ardore, quantâ promptitudine decurristi? Nullam Sapientia præfixit metam, quam ingenii solertiâ prior non attingeres, solâ Te sequentibus æmulis admiratione. Louanium verò Belgii oculus, Arx ingeniorum, Musarum sedes, scientiarum patria vidit in Te Lithuano Iuuene, quod in matura stuperet senectute; sublime nimirum ingenium, morum constantiæ; raram prudentiam vitæ iunctam integritati. Vidit & inuidit capacem cuiuscuis eruditionis auiditatem, quæ adeò vltra communes eminebat terminos, vt omnem doctrinæ celsitudinem pro limine habere videretur. Sunt non rarò qui alieno sub sole, aureos riuos nisi in virtutis exitium non deriuant, patriamque reduces enecturi innocentiam, damnata quouis loco vitæ licentioris imbibunt toxica. Fructus iis effusorum largè sumptuum maximus est, magnificis impendiis breuissimam authoritatem lucrari, & per pretiosa thesaurorum damna exteram obtinere adulationem. At Tu Illustrissime Domine obseruatorem inter exteros vbique gerebas animum, vt notatos bonarum consuetudinum morumq; radios, in Tuæ lucis augmentum transferres. Sat equidem decorum Virtus & Fortuna PACIANO cum Flore in Te congesserat, nec foris venustatem quærere habebas opus, quâ domi abundabas; nobilioris tamen animi negotium arbitrabaris, non modò nasci, verùm & fieri optimum. Nunquam potentiæ dignitatique ostentandæ Tua studebat liberalitas, omnium tamen cultus & opinio Te comitabatur, eo quòd perpetuò inter

inter Sapientiæ auctores versarere, apud quos animum Senatoriis muneribus aptabas, dum quæsita disceres, nondum inuenta sedulus vestigares. Nullus omnino accessus noxiis ad Te patebat commerciis. Quisquis Liliorum Tuorum candori maculam inspersurus putabatur, eum à Tua consuetudine protinus amouebas, dogma secutus Senecæ: si velis vitiis exui, longè à vitiorum exemplis recedendum est. Hæret namq; animis in auaro sordidoque conuictu, turpis auaritia; crescit cum superbis tumor, sæuitia in tortorum contubernio non extinguitur, vt nec inhonesta in lenonum sodalitiis flamma. Pari integritate relata ab exteris in Regiam Serenissimi VLADISLAI IV. Lilia Tua custodiisti. In aula namq; (o prodigium!) nil de aulicis contraxere næuis. Continuum Te sui fecerat Augustæ fauor maiestatis, non tamen inflauit; cum plerumque indiscreta felicium pedissequa sit superbia, & vix cuiquam contingat, abundare fortunâ; & indigere arrogantiâ. Nunquam Te Regiæ lubricum extra semitam honesti vidit exerrare, imò suspexit miram animi sublimitatem, quam virtutis regulæ tam exactè conformabas, vt ad inopiam veritatis redigeres Poëtam canentem - - Exeat aulâ

Qui cupit esse pius.

Nunquam tibi voluptas cum temeritate, dulces iuuenum pestes, vicinæ, sed nec hospites erant. Ita corpus animo, animum virtuti, virtutem vbique DEo subiiciebas, vt quemuis locum honesti sacrarium esse posse, si rectior foret voluntas; proprio probares exemplo. Ita inter aulæ tropicos cum erraticis sideribus versabare, vt in constantiam nunquam delinqueres. Regalis aulæ decus, ne splendoris defectu violares, ingens Te famulitii comitabatur ordo; ne tamen externo corporis cultu inglorius vilesceret animus, nunquam sine virtutum choragio procedebas. Quisquamne

quamne igitur immeritum Senatoriæ Te crediderit litare gloriæ, cui per tot heroicarum virtutum initiatus es mysteria? Debebant vtiq; Lilia Tua Augustam maiestatem coronatura, Senatorio illigari serto, quorum candor, pridem Te istorum Fascium optimum fecit Candidatum. Non priuati hæc iudicii temeritas est, verùm publica nobilissimorum confessio districtuum, qui certiore pridem omine Senatoriam Tibi dignitatem, quàm viso quondam Mario consulatum Scipio, designabant. Etenim aptos Tibi sustinendis Regni curis non poterant non fateri humeros, quibus toties imposita singulorum districtuum negotia non infeliciter incubuissent. Ibas non rarò publicus Tuæ Gentis Legatus ad conuocata Reip: comitia, in quibus pro communis defensione boni, alios quidem (vt dicunt) rosas, Te Lilia, sensu sublimia, cultu decora, veritate candida omnibus amæna, vni duntaxat, quod damnabas, sceleri ingrata, locutum non ignoramus. Pendebat ab ore Tuo prudentis admiratione facundiæ detenta non semel Curia, gaudebatq; nobilissimos PACIANÆ Domûs in Te reuixisse Heroes, GEORGIVM scilicet PACIVM à Casimiro Iagellonida sub coronarium Polonorum aurum ituro ad congregatos Regni Proceres; & NICOLAVM PACIVM Præfectum Lidensem ab vniuersis Lithuaniæ Ordinibus, pro deferendis Casimiro Iagellonidæ M.D.L. fascibus, ad Polona itidem comitia expeditos Oratores, qui tantâ vi perorârunt, vt æternitatem sua commouerint ad obsequia; tantâ laude, vt per ora posterorum semper sint ituri. Sunt ea quandoque capita, quæ vbi emendicatam alieni calami facundiam effuderunt, vltra nec verba verbis, nec responsa responsis diluunt, sed muto quodam & sedentario stupore excipiunt singula; & alienis, quas ignorantia non sinit improbare, etiam inuiti annuunt opinionibus. Tu verò Illustrissime

ſime Domine, ſeu primus cenſeres, ſeu priori ſuccederes, parem ſemper ornatum & copiam afferre, neque diſertè minùs noxiis reſiſtere ſententiis, quàm vtiles probare didiciſti: imò ea Tuæ felicitas eloquentiæ ſæpe fuit, vt velut catenato Herculis auro in Tui ſenſûs comprobationem, ordines traheret vniuerſos. Libertatem verò dicendi quis in Te non ſtupeat, cùm nec potentiam delinquentem tacita prætergrediatur? Nouimus quantâ nuper contentione ac conſtantiâ, coram vniuerſa Republica violatæ contemptum religionis, legumque patriarum irreuerentiam accuſaris. Quæcunq; Tecum pro Reipub. commodo ſentis, ingenuè profers, vel hinc PACIANI ſanguinis agnoſcendus hæres, quòd natiuum Liliorum Tuorum candorem, nec adulatione, nec veritatis offendas ſilentio. Exhibuiſti abundè nuper generoſam pectoris Tui ſinceritatem inter prima Minſcenſium Commiſſariorum capita, quando debita militi ſtipendia perſoluebantur. Ita namque Patriæ, ita militum bono ſtudebas, vt publicam, quam diſtribuebas, pecuniam Tuæ religionis æquitate conſecrares. Nullæ Tibi fraudem obiiciebant querelæ. Tantam integritatem in diſtribuendo Reipub: theſauro adhibuiſti, quantâ Illuſtriſſimus Parens Tuus in eodem vſus eſt olim ampliando. Adamantem voluit antiquitas iudicem, an vt calcatis aureis affectibus ferreæ iuſtitiæ adhæreret? Vidit Te talem Minſcum, probauit Miles, ſenſit Patria. Vniuerſa namque negotia eâ æquitatis laude Commiſſarius peregiſti, vt Lithuanus Ariſtides, incorruptus Recti Iuſtiq; cultor palam audires. Sed en aliud Virtutis fortunæque Tuæ prodigium! Minſcenſibus attendis iudiciis, Krzyczewianam nihilominus citra Patriæ damnum auertis, & ſerenas tempeſtatem. Præſumpſerat præſentium rebellio temporum poſt depoſitum alibi proſperæ crudelitatis tyrocinium immaniſsima

nisſima, ſcelerato, quod in reliquas Patriæ ſtrinxit vrbes, ferro, mandatam Tuo præſidio tentare Krzyczewiam. At quo euentu? Riſit ruſticam incolumis arx obſidionem; riſit hoſtilem inſolentiam Krzyczewia Tuis defenſa curis, munita armis & conſiliis. Clamabat non vnus [& ii potiſsimùm, quos aut Romanæ Religionis, aut Polonæ Gentis odium, in Coſacorum partes traxerat] admotis caſtro rebellium telis: Annibal ad portas. Sed Te Præſide, quid aduerſi proficerent conatus? Non equidem præſentem Tua Te habuit Sparta Laconem, vtpote Minſcenſi à Repub. diſtentum Tribunali; attamen vel abſenti fortuna debuit ancillari. Eâ quippe commeatûs copiâ, eo militum delectu locum munieras, vt ad quemuis hoſtium impetum ſuſtinendum frangendumq; ſufficeret. Iteratò aggreſſus hoſtis Krzyczewiam, iteratò reiectus abiit, nullo, præter copioſa temeritatis damna, emolumento. Alibi verò quantam Martiæ fortitudinis collegeris opinionem, publica nobiliſsimorum Palatinatuum iudicia atteſtantur. Vidimus nuper per vniuerſam latè Patriam communes in ruſticam inſolentiam legi turmas, ſed Te pariter ſcriptæ à Palatinatu Vilnenſi, Trocenſi, Minſcenſi, Viteprenſi, Lidenſiq; Capitaneatu, militiæ Caput, magni Lithuanorum Exercitum Ducis decreto deſtinatum, non ſine debita accepimus hilaritate. Præclara hæc, non tamen poſtrema Martii pectoris Tui teſtimonia. Etenim vt verum Te Patriæ amatorem luculentiùs manifeſtares, animum ad altiora Reipub. commoda glorioſiùs erexiſti. Eximia publicam in fortunam liberalitas eſt; ſeipſum communi bono impendiſſe: exiguam Tu tamen eam & infra Tui magnitudinem animi ponebas, niſi Te, Tuaq; ſimul, pro publica ſalute deuoueres. Habuiſti itaque in Reipub. tutelam, tres lectiſsimorum militum cohortes, quibus, ne præter defenſæ incolumitatis

E tis

tis beneficium, quidquam deberet Patria, Tu spontè proprios in stipendium effudisti thesauros, veteris oraculi nouo secutus exemplo sententiam, quæ pectus ferreum in hostes, & argentea simul tela, ad victoriæ certitudinē suasit vsurpanda. Etenim non splendidè minùs ad maiestatem, quàm fortiter ad impetum militare tum censemur, quando iunctis auri ferrique viribus, maius in robur & decus vtimur. Multa, quæ ex Te sumpta, Tua commendent Lilia, omitto. Nam vt plurima dixero, in Tuis laudibus vix dicenti similis ero: & quanta qualia porrexero elogia, prope silentium habebuntur. Sufficiet itaque in honoris Tui sacrarium, hunc modò ingenii censum deposuisse: in quo, quoties Liliorum Tuorum amænitatem attenta voluet consideratio, toties Tuam Tuorumq; virtutem clarissimo cum sanguine venerabitur. Effecisti profectò Illustrissime Domine ne vacuum Te meritis concessa acciperet Prouincia. Magnum & in Lithuana Gente primum prope honorem adeptus es, sed magnarum impendio virtutum. Progredere itaq; fortunatis auibus, conscende debitum Tibi culmen, occupa Trocenses Fasces, qui à Tuorum præsentia Liliorum, amænam haud dubiè efflorescent in hilaritatem. Quidni hodie Trocensis Palatinatus nouis abundet gaudiis, cum ei subiicitur Præsidi, qui non à sola nascendi felicitate sublimis Purpuræ accepit suffragium, sed propriâ quoq; virtute, & heroicis facinoribus altissima fastigia promeretur? Nusquam hactenus optata non floruit faustitas, vbi inclyta Illustrissimæ Domus Tuæ floruerunt Lilia: vtique & Trocensis terra parem in iis fortunam experietur? Nil Te humile euectus tot sæculorum labore sanguis cogitare; nil non perfectum, virtus omnibus absoluta numeris aggredi sinet. Exhibebis Te Lilium omnibus odore, simul & colore peramænum, Lilium inquam, Equestri in ordine, gratiâ; in Procerum

rum numero, eximiâ floridum auctoritate. Terra Tuo commissa regimini agnoscet Te amabitq; PACIVM, publicæ pacis conseruatorem, non turbulento motu, nec oppressæ iniuriâ libertatis, sed placidâ quiete, prudentibusq; consiliis gubernantem. Hæc vniuersorum de Te auguria, quæ vt propitius cœlorum fauor dignis Tuo genere & virtute coronet successibus, cum Alma Vniuersitate Vilnensi, quæ quanta quanta est, Tuis applaudit insignibus, opto voueoque.

E2 AMÆ-

AMŒNITAS LILIORVM ILLVSTRISSIMI PALATINI IN FLORE.

ORbi nil stabile. Omnia
Velox præcipiti sors rotat impetu.
Vndis blanda silentibus
Iam Neptunus habet flustra, nec horridos
Eurorum patitur greges,
Admixtus rapidis iam redit Africus,
Cauris, & vaga Thetydos
Concurrunt pauidis æquora præliis.
Nox cum luce vices gerunt
Alternas. Roseum nunc caput aureo
Sol diffundit in æthere:
Nunc mitem Hesperio fonte lauat comam.
Siccâ quos recreat face
Getuli facies ignea sideris
Campos, mæsta fluentibus
Mox rodunt pluuiis astra, & Oriona
Tellus è madido pauet
Stillantem riguis aére fontibus.
Blandi deliciosa nunc
Vernis cum Zephyris aura Fauonii
Canis frigida montibus
Soluit vincula, magnæ vt pateat via
Matri, de gremio suas
Quà diffundat opes, quaque auidis placens.
Tempe-

Tempestas segetum horreis
Exundet, grauidas & Ceres aurea
Spicas, Floraque amabiles
Verni delicias temporis explicet:
Nunc rursus viridantium
Hortorum nitidam bruma superbiam
Narcissum, & casiam, & leui
Tymbram cum viola, bellium &, & crocum
Reginamque Rosam, & Duces
Et Reges placidæ Lilia Chlorydis
Lætatur niueo redux
Oppressisse iugo. Sed PACIÆ Domûs
Sublimi Procerum situ,
Inter Purpureæ lumina gloriæ
Summis inclyta honoribus
Vernant perpetuùm LILIA. Nulla eis
Frontis gratiam eburneæ
Formosamque comam, aut prælia, quæ mouet
Sæui exercitus Æoli,
Aut, quos dura creant sidera, turbines,
Aut tristes Hyadum minæ,
Possunt ingenitam euellere gloriam.
Nil mortale perennibus
Includunt foliis, nil violabile.
Nec mirum: ad placidas faces
Heroum, ad Patrii sidera sanguinis,
Virtutemque domesticam,
Ceu claram rutili lampada Cynthii,
Hortis in genialibus
Crescunt, nobile ver semper habentia.

AMOE-

AMŒNITAS LILIORVM ILLVSTRISSIMI PALATINI IN CANDORE.

Portenta rerum! Trux Borealibus
Hyems procellis sæuit, & horridas
Induta nubes bruma, terram
Arctat Hyperboreo furore,
Amœna pulchro cerno tamen super
Florere thyrso Lilia, Lilia
Circum niuoso fusa lacte
Atque ebore alba magis vetusto.
An, quos relictâ magna Semiramis
Tellure celsum vexit in aëra,
Horti, nitentibus morantur
Attonitos oculos ligustris?
Aberro! Flores Littaliæ inclyti
Colore natiuo placidùm albicant,
Argenteo brumæ capillo,
Et niueis similes pruinis.
Hæc PACIANÆ LILIA sunt DOMVS,
Candore nunquam non Patriæ agnita,
Quæ nulla tempestas, procella
Nulla potest vitiare. Auitæ
Sinceritatis rebus in omnibus
Florem tuentur. Nullus eis color
A publicis bonis abhorrens,
Noxius aut patriæ saluti.

Roma-

Romana seris Musa nepotibus
Docto loquatur carmine Curtios,
Scæuasque Regulosque natos
Pro Patria bene stare ciues:
Heroas haud Respublica Littauûm
In PACIANO sanguine dispares
Experta, proferente semper
Flore sibi similem colorem
Fidelitatis. Siue Senatui hæc
Inserta crines LILIA Principes
Ambire gaudent; seu Sigillo,
Vt meritos solident honores;
Præesse Regni: seu quoque bellicos
Inter labores crescere Martio
In campo; vbique concolore
Pro Patria folio nitescunt.
Non hæc molestæ LILIA ciuium
Turpant querelæ, non odii notæ
Sed dulce Gentis vniuersæ
Delicium sine labe candent.
O Hortulanis LILIA Gratiis
Plantata! Flores ô niuis æmuli!
O quæ virentes inter herbas
Liligeris redimita sacram
Frontem coronis, imperium tenes
Perenne florum; Præses & aurei
Regina veris, PACIANA,
Fac stabili vigeant nitore;
Quos glorioso stemmate fert Domus
FLORES, furentem fac procul Africum;
Vt Patrio nunquam impediti
Commodius foueantur Horto.

AMOE-

AMŒNITAS LILIORVM ILLVSTRISSIMI PALATINI IN ODORE.

FRustra Niliaci gleba ferax soli
Floræ diuitias jactat amabiles;
Frustra Thessaliæ plena superbiunt
Herbis prata virentibus.
Hortorum roseo dulcis anhelitu
Ecquid culta tumet Creta Parens Iouis?
Totam Flos PACIVS per Patriam magè
Gratis fertur odoribus.
Seu me belligeræ Vistula Lechicæ,
Quà se præcipitem sponte dedit vado
Audax Venda mori, ne fieret iocus
Et cæcæ opprobrium Deæ;
Seu Thusci reuocent regna Palæmonis,
Quà velox bifido nomina lubricis
Vilnæ gurgitibus Vilia surripit
Vndis grandior additis:
Seu me Chronus habet, quà glacie super
Hostili rubuit sanguine decolor
Cum vis Littaliæ dura minacium
Fregit pectora Teuthonum;
Optato Patriæ non sine gaudio,
Diffundi placidis vndique odoribus,
Per Pacis titulos, perque decus Togæ,
Perque insignia Præsulum,

Aduerto

Aduerto PACII LILIA sanguinis:
Nec tantum hospes eis deciduus breui
Est Virtutis Odor, sed benè fixus, &
Ciuis semper & incola.
Cæco euersa labant sæcula turbine.
Terræ pernicies quotidie est noua.
Mundus funeribus prima stupet nouis
Vsque excrescere funera.
Seu Ars, siue ferax clara opera extulit
Naturæ ingenium, stant modicùm: quoad
Secum Fata, truces & Furiæ sacra
Collusêre per otia.
Ætati at dominæ cedere nescia
Persistunt PACII LILIA nominis,
Rerumque assidua in clade ruentium
Spectant exitium integra.
Qualis flauicomis emicat ignibus
Intermixta choris Cynthia siderum,
Cum fulgens tacitâ nocte volubiles
Cancri præcipitat domos.
Talis Sarmaticis nata Trionibus
Consurgit PACII gloria LILII
Semper vere nouo florida, maximis
Semper diues odoribus.
Cesset iam tepidi cura Fauonii
Hortos indigenis pingere floribus,
Nardorumq; niuem, & sanguineos rosæ
Clausum spargere per nem[us]
Crines. E PACIIS sufficiens venit
Toti Littaliæ gratia LILIIS.
Flos hic, delicias & decus, vnicus
Florum continet omnium.

G AMOE-

AMŒNITAS LILIORVM ILLVSTRISSIMI PALATINI, IN MARTIO CAMPO.

SI quem cruenti ſudor acinacis,
Miſtuſq; ſæuis vmbo tonitruis,
Et dira clades, & ſeueri
Tela iuuant furibunda Martis,
Hoſtem quietæ pacis, & otii
Oſorem honeſti, prælia præliis,
Iraſque lætum iungere iris,
Indomitaſq; animo efferato
Portare cædes: hunc ego dixerim
Inauſpicatis Acrocerauniis
Conceptum, inhoſpitæque Scyllæ
Terribili malè natum in antro,
Parthæq; ſæuo Tygridis vbere
Paſtum, nepotem ſanguinei, plaga
Getula quem parit, Leonis
Aut Lybici fera luſtra regni.
At bellicoſæ neſcia adoreæ
Quo Muſa tendis? deſine Martia
Torquere corda, deſine vltra in
Bella alacres grauiore cantu
Ferire Celtas. Ergone deſides
Vertemus æuum? Sarmata nobiles
Præſumet audebitque mente
Degeneri ſcelerare Patrum

Segni

Segnis triumphos? Currite Martiis
Amica bellis currite ſæcula,
Addiſce tela, addiſce ferrum
Leche agili bene ferre dextrâ.
Quid cerno? quid? vel Lilia bellicis
Creſcunt in armis? quæ noua? cernite
Reſperſa conſurgunt rubenti
Lilia (prodigium!) cruore.
Sed PACIANI Stemmatis inclyta
Nobis videntur LILIA, quæ cruor
Moſchiq; Turcarumque fuſus
Tingit, & è Gothicis abundè
Educta turmis copia ſanguinis
Gratùm colorat. Vidi ego non ſemel
In Littauas effuſa terras
Agmina, quæ PACII labores
Eliberatæ non ſine Patriæ
Fudêre fructu: vidi & in hoſtium
Caſtris tumultus barbarorum,
Præcipitemq; fugam, metumq; &
Diſperſa turpi ſpicula dexterâ,
Arcuſque, & enſes, & vacuas ſine
Telis pharetras, hinc & inde
Per rubeos iacuiſſe campos:
Quando STANISLAVS PACIVS trucis
Coniuncta Moſchis robora perfidis
Scythæ, potentum Littalorum
Vindicibus cohibebat armis.
Mordens Vitepſci littora garrulis
Dic Duna lymphis, dicite gurgites
Vidblauiani, quot reuulſa
Cum mutilis ſimul ora truncis
Fundi voracis viſcera in intima
Pertraxeratis? quotque cadauera

Portata

Portata defluxêre pronis
Fontibus, expositura fausti
Trophæa belli, quo PACIVS benè
Hostem vltus, amplas tergemini simul
Fregit Palatini phalanges.
Wielizii vt maduêre colles?
Tincti rebellis sanguine Moscuæ,
Magni cohortem cum Ducis aulicam
Virtute dexteraque forti
Fulmineisque agitauit hastis?
Iam vos Smolensco dicite montium
Affusa circum culmina, perfidi
Quantum cruoris imbibistis,
Præside cum PACIO Arcis, hostis
Tentare fortunam ausus, inanibus
Votis recessit, clade suam nouà
Præsumptionem serò lugens;
Nil Patriâ, nihil Arce saluâ
Ferente damni. Cætera quis satis
Canet diserto prælia carmine,
Et fusa per campos fluenta
Quo PACII rubuêre Flores?
O ergo faustùm crescite LILIA,
In barbarorum crescite sanguine,
Rubete Flores auspicati,
Littalicæ decora alta terræ.

Staats-
Bibliothek
19. 4. 27
Reparatur